DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS
DE
ARTHRITIDE

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE, GVESTPHALIAEQVE, RELIQVA,
AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICAE IN ALMA SALANA
SVB PRAESIDIO
HERM. FRIDER. TEICHMEYERI
PHIL. ET MED. DOCT. ANATOMIAE, CHIRVRGIAE AC BOTANICES P. P. O. SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM VINARIENSIS ATQVE ISNACENS. CONSILIARII AVLICI ET ARCHIATRI, ACAD. IMPERIAL. LEOPOLD. CAROLIN. AC SOC. SCIENT. REG. BORVSS. SODALIS
PATRONI ET PRAECEPTORIS SVI COLENDISSIMI
PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
IVRA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME, MORE MAIORVM, CONSEQVENDI
PVBLICAE ET SOLENNI DISQVISITIONI
SVBMITTIT AVCTOR
HEINRICVS PETRVS EICHMANN
HERTZBERGA - HANNOV.
AD DIEM FEBRVAR. M DCC XXXIII.
HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS.

IENAE, LITERIS HORNIANIS.

VIRO
PERILLVSTRI,
GENEROSISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
ERNESTO DE STEINBERG
SACRI ROMANI IMPERII LIBERO BARONI
MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET ELECTORIS BRVNSVICENSIS AC LVNEBVRGENSIS CONSILIARIO INTIMO ET DVCATVS GRVBENHAGENSIS PRAEFECTO HAEREDITARIO DOMINO IN BODENBVRG
ET RELIQVA

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

OMNI ANIMI SVBMISSIONE

D. D. D.

HENRICVS PETRVS EICHMANNVS.

§. I.

ARTHRITIDEM, ἀπὸ τοῦ ἄρθρου, ab articulo, tanquam parte affecta, originem trahere, certum atque indubitatum eſt. Hinc etiam communi nomine morbus articularis ſalutatur; a CELSO dolor articulorum, ab HELMONTIO morbus volupe viventium, a Gallis *la Goutte*, item ab aliis latine Gutta vocatur, quoniam putarunt, defluxionem hancce ſucceſſive & quaſi guttatim fieri, teſte FORESTO; ab aliis nominatur *Synovia*, quia morbus hic

* Lib. XXIX. Obſervat. med. tit. de Arthritide. Multi Medici priſcis temporibus ſtatuebant, materiam arthriticam fluere a capite ſucceſſive ad partes. De hac theſi diſputarunt LAVRENTIVS, FERNELIVS, FRAMBOISIERIVS, RIVERIVS, SENNERTVS, ZACVTVS, &c. Vide CHESNEAV, Maſſilienſis, Obſervationes medicas, (Lugdun. Batav.) lib. 4. Cap. I. pag. 373.

ſedem plerumque habet in aqua illa mucilaginoſa articulari, ſynovia dicta, vel quia morbus occupat illas partes, quæ a ſynovia humectantur. Alii per jocum arthritidem appellant morbum divitum, vel dominorum, quia hi plenitudinem ſuccorum ſibi laudatiſſimis alimentis acquirunt, a qua hic morbus plerumque originem ducit.

§. II.

Non ſemper autem arthritis univerſalis eſt, nec omnes corporis partes ſimul extorquet; ſed modo hanc, modo illam infeſtat, quo tempore vaga dicitur: Si vero in uno loco, & per certum tempus, dolor conſtanter permanet, fixa audit. Pro partium affectarum diverſitate varia ſortitur nomina. Si circa maxillam ferociat, *Siagonogra*, circa collum *Trochleagra*, vel *Trachleagra*, circa ſpinam dorſi *Rachiſagra*, circa ſcapulas *Omagra*, circa cubitum *Pechiagra*, circa lumbos *Lumbago*, circa coxam *Iſchiadicus dolor*, vel *Coxagra* nuncupatur; ſi autem manus, earumque digitorum articulos, infeſtat, *Chiragra*, ſi genu, *Gonogra*, ſi denique pedes, *Podagra* ſalutatur.

§. III.

Eſt vero arthritis dolor plus minus vehemens articulorum, vel periodice recurrens, vel ad certum tempus perdurans, quem tumor & rubor circa articulos concomitantur; dependens ab humoribus vitiatis, ſtagnantibus, partes nervoſas lancinantibus, prementibus, & diſtendentibus, ac ſubinde ibi concreſcentibus.

§. IV.

Dudum diſputatum fuit, quid generis loco in hoc morbo ponendum, & an arthritis dolor ſit nominandus, an vero tumor, & inflammatio. Nos, cum aliis, dolorem poſuimus: Hic enim eſt de eſſentia arthritidis, tumor vero & inflammatio non ſemper apparent; obſervatur arthri-

tis

tis interdum 'cum, interdum ſine tumore. Hoc FORESTVS, l. c. teſtatur, & WILLISIVS * confirmat. Cæterum tumor vix fieri poteſt, quia in arthritide atrociſſima vaſa ſanguifera omnium minima afficiuntur, & malum hærere ſolet in minutiſſimis nervorum ramificationibus, ſpaſmodice contractis, ideo nonnulli in ſpaſmo fibrillarum nervearum minutiſſimarum arthritidis formam quærunt.

§. V.

Ex his, iam dictis, liquido fluit, quod & inflammatio non ſemper in oculos incurrat; poſſe adeſſe inflammationem concedimus, etiam in principio, ſed illa occupat tunc temporis partes articulorum internas, non vero externas, afficit ligamenta, immediate oſſa cingentia, & tendines interiores, & ideo neque ad ſuppurationem, neque gangrænam regulariter vergit. Dolor autem, quem arthritici miſerrimo ejulatu exprimunt, partim gravativus, partim tenſivus, nunc punctorius, lancinans, ardens, & roſivus eſt, dicuntque, oſſa ſibi eſſe luxata, dilacerata, compreſſa, & tanquam a vermibus exeſa, manifeſtiſſimo indicio, quod dolor non ſemper uniformis ſit.

§. VI.

Subjectum arthritidis generale ſunt articuli, termini oſſium extremi, in quibus oſſa inter ſe ad motum, ſive per enarthroſin, ſive per arthrodiam, & ginglymum, coniunguntur, multis tendinibus & ligamentis ibi exornantur, & ad motum perficiendum adaptantur. Verum nec excludenda eſt plane omnis ſymphyſis, quia dentes in al-

 veo-

* Cap. de Arthrit. p. 304. qui ibi inquit: A primo ſtatim inſultu dolores plerumque ſine ullo tumore oriuntur, tametſi poſtea circa morbi ſtatum pars affecta non raro intumeſcat.

veolis maxillarum per gomphofin connexi, a malo arthritico non fint immunes; hinc oritur *odontagra.* Simili modo lingua, eiusque offa hyoides, per fynchondrofin combinata, ab arthritide afficiuntur, qui morbus *gloffagra* audit. Speciale vero fubiectum arthritidis non poteft effe fubftantia offea, quia fibræ offeæ non funt flexiles & tenfiles, & quamvis in offium proceffibus tophi arthritici reperti fuerint, tefte BONETO *, tamen ibi non, fed potius in nervofis partibus dolorem arthriticum fieri, probabile eft. Nec cavitates in interftitiis offium commode fubjectum nominari poffunt, nifi quatenus conftituunt fynoviæ receptacula. Vera potius arthritidis fubjecta funt ipfa *perioftia*, *perichondria*, *ligamenta*, *tendines*, *vaginulæ tendinum*, *tendinum aponevrofes*, *glandulæ mucilaginofæ*, horumque organorum fubtiliffima vafa fanguifera, lymphatica, & nervorum expanfiones.

§. VII.

Perioftium membrana illa fubtilis & valde fenfilis eft, ex filamentis minimis nervofis, artificiofiffime contextis, compofita, offibus immediate fuperextenfa, vafculis fanguiferis referta, per quæ materia, pro nutritione & augmentatione, adfertur. In ipfis offium juncturis politæ quædam cartilagines fuperficies offium tegunt, quæ motum in articulis facilitant, & omnia impedimenta motus remouent. Cartilagines, fecundum HAVERVM, ** fubtilisfimis perichondriis obducuntur, quæ, ob pelluciditatem, fere omnem aciem oculorum fugiunt. Hæc fubtilis membrana in omnibus cum perioftio convenit, filamentis eiusdem generis conftat, eandemque obtinet texturam; hinc

* In Anat. pract. lib. IV. fect. VIII. obfervat. 1.

** In Ofteol. fua nova, p. 328.

hinc nervofa eft, & fubtiliffima, ac fere invifibilia vafa fanguifera continet.

§. VIII.

In articulorum cavitatibus, præter jam dicta, alia quoque triftis hujus fenfationis fubiecta reperiuntur, glandulæ nempe mucilaginofæ, & ligamenta. Eft ligamentum, circa os fitum, pars corporis alba, folida, cartilagine mollior, membranis vero durior, offa conjungens, mutuo colligans, motumque eorum legitimum confervans. Componuntur ligamenta ex fibris fui generis durioribus, nervofis tamen quoad maximam partem, & ex vafculis fanguiferis fubtiliffimis. Diverfimode ligamenta dividuntur pro eorum fitu, figura & longitudine; alia enim funt longa, alia brevia, nunc obliqua, recta, lateralia, antica, poftica, nunc rotunda, quæ funiculorum inftar offa conjungunt, & lata, quæ in modum fafciarum & zonarum articulos obducunt, & receptacula & faccos formant, pro continenda fynovia. In acetabulo coxæ glandula magna mucilaginofa cum ligamento rotundo & lato afficitur. In articulatione offis tibiæ & femoris, quæ fuis extremitatibus in genu conveniunt, varia ligamenta obfervantur, partim folida, partim molliora rubicundi coloris, & recte a recentioribus Anatomicis mucaginofa dicta. Adfunt infuper glandulæ mucaginofæ ibi copiofiffimæ, partim feorfim pofitæ, partim cum pinguedine conjunctæ, quæ omnia Dn. Præfes in anatomiis publicis auditoribus egregie demonftravit. Huc referri poffunt bina ligamenta lunata, in medio offis femoris, & offis tibiæ, in fpecie hujus fuperficie fuperiori, fita, a magno VESALIO * annotata,

* In corporis humani fabrica, lib. I. p. 166. & 168. qui ibi ex-

tata, quæ quamuis in media eius parte ſint cartilaginoſa, tamen circa extremitates in membranas flexiles deſinunt, & perichondrio nervoſo obducuntur. Oſſa tarſi, & metatarſi, immo internodia digitorum pedis, infinitis ligamentis inter ſe junguntur. Mirum ideo non eſt, ſi circa has partes ſæviſſimus podagræ cruciatus percipiatur. Inſtitutum noſtrum non eſt, prolixam de omnibus ligamentis pertractare doctrinam. Qui uberiorem deſiderat inſtitutionem, ille evolvere poteſt CAROLVM STEPHANVM, VESALIVM, EVSTACHIVM, VALVERDAM, CASERIVM, LAVRENTIVM, DIMERBROECKIVM, aliosque anatomiæ ſcriptores; in ſpecie recens, doctiſſimum tamen, ſcriptum celeberrimi Archiatri regii, & Lipſienſis Anatomici, WALTHERI, de *Articulis, Ligamentis, & Muſculis*, cum ſupplemento, in quo varia, quæ ad patellam & plantam pedis pertinent, a multis Anatomicis neglecta & prætervifa, accurate traduntur & ſupplentur; item noviſſime editam *Expoſition anatomique de la ſtructure du corps humain* de Mr. WINSLOW, Tome premier, Traité des os frais, de pag. 259. usque ad finem hujus partis.

§. IX.

Ad ſubjecta arthritidis referri debent aponevroſes. * Aponevroſes termini illi nobis ſunt, in quibus tentendines oſſibus implantantur. Qui hoſce terminos accurate

preſſe dicit quod impenſe æquales lubricæ ac denique unctuoſo humore oblitæ ſpectentur.

* Terminus hic ſumitur nunc pro nervo, nunc pro fine & cauda muſculi, in ſpecie pro chorda tendinoſa, ſi muſculus in longum tendinem deſinit, interdum pro membrana ſpeciali, quæ haud ſecus ac ipſe tendo a muſculo originem ducit,

rate in iunioribus ſubjectis perluſtrat, videbit, oſſa fere nihil aliud eſſe, quam perioſtei, tendinum & ligamentorum continuationes. Dudum mota eſt quæſtio, quare arthritis oſſa articulata afficiat? ſed FERNELIVS * rationem ſuo tempore agnovit, quando dixit, quod in organis, circa articulos ſitis, dentur vaſa anguſtiſſima, in quibus a leviſſima cauſſa ſanguinis & lymphæ impurioris obſtructio, & fibrillarum nervearum ſubtilisſimarum ſpaſmodica contractio fieri poſſit. Etenim in perichondriis, perioſteis, ligamentis, tendinibus tendinumque vaginulis color obſervatur albus, & revera niveus. Ideo vaſa ſubtilisſima hæc organa perreptant.

§. X.

Ex rationibus, jam adductis, ad arthritidis ſubjecta pertinent vaginulæ tendinum: Sunt vero hæ vaginulæ tubi, tendines cingentes, mucilaginoſa ſynovia lubricati, in quibus tendines haud ſecus ac gladii in vaginis libere moventur, ſunt membranæ, ſubſtantiæ ligamentoſæ, flexiles tamen. Haſce vaginulas ſuo tempore jam indicavit incomparab. EVSTACHIVS, in *Tabulis* ſuis *anatomicis.* Dn. Præſes in ſectionibus publ. haſce vaginulas, ſatis notabiles & longas, in cadaveribus humanis, eorumque muſculis, pedis flexoribus & extenſoribus, auditoribus demonſtravit.

§. XI.

Glandulæ mucoſæ, vel mucilaginoſæ, articulares dictæ, corpora veſicularia diverſæ magnitudinis & figuræ

B ſunt,

qualis eſt in flexura cubiti, a muſculo bicipiti pronata, interdum pro vaginula tendinoſa, uti a Mr. GARENGEOT, in *Splanchnologia*, p. 10.

* Lib. VI. Pathol. cap. 18.

ſunt, in oſſium articulatorum membranis, muſculorum interſtitiis, & circa tendines conſpicua, propriis vaſculis dotata, quæ ex ſanguine humorem mucoſum ſeparant, pro partium, quibus adhærent, lubricatione continua. Glandulæ veſiculares vocantur, quoniam ex membranis tenuibus & pellucidis componuntur, quæ in ſubrotundas cellulas complicantur, adeoque veſiculas referunt. Uſus harum glandularum eſt, mucoſam, aut potius gelatinoſam, lympham a ſanguine ſeparare, qua oſſium articuli, muſculorum involucra tendinumque funiculi ſemper lubrici ſervantur, vt eo melius citra incaleſcentiam ac attritionem moveri & inflecti poſſint. Synovia, in hiſce glandulis ſecreta, maximam cum albumine ovi in pelluciditate & conſiſtentia poſſidet convenientiam. Dn. Præſes eam in cavitatibus articulorum cadaveris fœminini ſuperiori anno ſat copioſe invenit, publiceque demonſtravit, eamque ab acidis affuſis coagulavit, & in ſpiſſam maſſam commutavit, manifeſtisſimo indicio, quod, ſi a blanda ſalſedine mucilago hæc deflectat, &, ob admixta peregrina ſalia, viſciditatem nimiam atque acredinem concipiat, membranas ac fibras nerveas in juncturis & muſculorum interſtitiis tendinumque confiniis vellicare poſſit; unde varii oriuntur dolores arthritici, partim fixi, partim tranſitorii, ut & contumax rheumatiſmus. Quando vero coagulata mucilago, disſipatis particulis aqvoſis, in calciforme, vel cretaceum, ſpiſſamentum concreſcit, oriuntur in articulis tophi, & podagra nodoſa infertur. Hæ glandulæ mucilaginoſæ, ad ſynoviam ſecernendam deſtinatæ, aliæ ſunt maiores, aliæ minores: Maiores rubicundi coloris in magnis articulorum cavitatibus ſeparatim interdum ſpectantur, ut in acetabulo coxæ, item circa patellam in cavitate genu, aliæ in pinguedine ibi latitant; minores per tendinum & ligamentorum ſuperficies ubique diſperguntur, & microſcopiorum ope deteguntur.

§. XII.

§. XII.

HAVERVS sibi ipsi tribuit gloriam inventionis harum glandularum, illustris MORGAGNIVS, * de hoc auctore quoque fatetur, eum primum harum glandularum structuram, situm, & genera, prae omnibus aliis, diligentius perlustrasse; veruntamen non negandum, ipsam mucilaginem articulorum, ipsasque glandulas mucilaginosas, vetustioribus Anatomicis iam innotuisse, inter quos memorandi sunt CAROLVS STEPHANVS, ** IACOBVS SYLVIVS, *** VESALIVS, **** ANDREAS LAVRENTIVS. *****

* In Adversariis anatomicis, numero 2. animadvers. 23.

** Carolus Stephanus, Parisinus Anatomicus, Lib. I. de Dissect. partium corp. hum. cap. 28. pag. 53. haec habet: Eo vinculo praecipue haec duo ossa connectuntur, recipiunt ab adipe circumfuso quiddam humoris viscosi & pellucidi atque albuginosi, quo juvatur motus, & fit multo facilior, quod singulis maioribus articulationibus est commune, praesertim coxendicis, cubiti, humeri, spondylorum & pedum.

*** Iacobus Sylvius, Isagog. anatom. lib. 1. ita loquitur: Talis adeps nunc solus, nunc cum humore crasso & lento tendines illiniunt, talis quoque adeps in ischii acetabulo & genu existit.

**** Vesalius, Sylvii discipulus, l. antea cit. etiam indicavit synoviam.

***** Andreas Laurentius, in Histor. anatom. lib. 6. cap. 5. pag. 215. inquit: Quintus adipis usus ad motus facilitatem pertinet; sic qui articulorum ligamentis adeps crassior innasci consuevit, partes atterendas illinit, siccare prohibet, & ad motum faciliores reddit.

§. XIII.

Nec ab arthritide immunes ſunt nervi ipſi. Praxis Boerhaav. Londin. 1731. impreſſa, Part. V. p. 198. accuſat primario nervos eorumque conſtitutionem præternaturalem, v. gr. quando papillulæ nervoſæ fiunt inperſpirabiles, quando ſolideſcunt & comprimuntur, vel ſi ſal ſubtile peregrinum fluidis nerveis inexiſtit, quod per papillulas nervorum extremas non evacuatur, ſed ibi perſiſtit atque coagulatur. Eſt in nervis fluidum, & quidem duplex, unum ſubtile ſpirituoſum, alterum lymphaticum, quod ex nervo optico evidentiſſime exprimitur; hæc lympha nervorum in ſtatu naturali temperatiſſima eſt & dulciſſima, interim a dulcedine ſua deflectere, acrimoniamque & viſcoſitatem concipere poſſe, credibile eſt, quo inducuntur varii morbi, ſpaſmi, convulſiones, & ipſam fieri poſſe arthritidem, abſurdum non eſt.

§. XIV.

Cauſſa immediata arthritidis eſt ſolutio continui, non quidem facta, ſed tantum in fieri conſtituta, quia vaſa repleta & obſtructa diſtenduntur, atque partes nervoſæ harumque fibrillulæ ab aculeis ſalium vellicantur, & ſic ſpaſmodice contrahuntur. *Cauſſam mediatam proximiorem* conſtituit maſſa ſanguinea vitiata. Vitium autem hoc quærendum tum in quantitate, tum qualitate. Quantitate peccat plethora in hiſce ſubiectis, frequentiſſime acquiſita, vita molliori, luxurioſa & otioſa, epulis lautioribus, potulentis ſpirituoſis & vinoſis, ac dum ita ſucci cumulantur, nulla perfecta maſſæ ſanguineæ circulatio & depuratio in organis ſe- & excretoriis fieri poteſt, adeoque maſſa ſuperflua, ad articulos debilitatos devoluta, vaſa ibi anguſtisſima obſtruit. Qualitate peccat maſſa ſanguinea, ſi lympha & ſynovia, quæ alias in ſtatu naturali benigna & tem-

perata

perata eſt, ac ligamentorum & tendinum fibrillulis tenerrimis damnum non infert, a particulis ſcorbuticis intemperata redditur.

§. XV.

Cuiusnam naturæ hocce fermentum arthriticum ſit, non omnes auctores determinant. Alii accuſant acrimoniam bilioſam, alii ſalſam, alii alcalicam, alii pituitam, alii aquam inſipidam tartareamque, alii acidum. Qui acrimoniam ſalſam defendunt, provocant ad PECHLINI obſervationem. * Hic ex tumore rupto iuvenis arthritici humorem ſalſum effluentem vidit, qui ſtatim in albam calcem concrevit. Huius ſententiæ eſſe videtur KERKRINGIVS, ** qui calcem arthriticorum chimice examinavit, atque ſpiritum, inter ſal ammoniacum & tartarum medium, impetravit, ac ex capite mortuo ſal fixum extraxit, cum ſale tartari conveniens. Qui aquam inſipidam defendunt, provocant ad ſententiam BORRICHII ***, qui ſolam aquam communem ad lapidum tum macro-tum microcoſmi generationem ſufficere docet, & multas aquas, lapides producentes, ſenſibus exploravit, in quibus nullum ſalis invenit veſtigium. Concedimus quoque, in caverna Baumanniana Hercyniæ, in multis ſpeluncis Norvegiæ, ſtalactidem generari, item in aquis Jenenſibus inſipidis tophum inexiſtere, ſed inde non ſequitur, quod nulla ſalia, tanquam terræ ſubtilis menſtrua, in hiſce aquis ſint; a negatione enim ſenſuum ad rei ipſius negationem non valet conſequentia: omnis aqua inſipida ſal eſt, & ſubtilem terram in ſe continet. Aqua calcis vivæ inſipida

 eſt,

* In Obſervat. med. phyſ. n. 25. pag. 272.

** In Spicileg. anatom. obſervat. 58.

*** In Actis Hafniens. Vol. V. obſ. 81.

eſt, aqua roris maialis quoque nullum continet ſaporem, nihilominus ſi hæc bina miſcentur, terra præcipitatur ſubtilis, & a reſiduo liquido, mediante evaporatione, ſal impetratur nitroſum.

§. XVI.

Nos, cum HARVERO *, primario acidum auſterum in arthritide peccare ſtatuimus, quod cum ſynovia mixtum, craſſioris conſiſtentiæ coagulum producere poteſt, quam omnia alia ſalia, quocunque modo qualificata, & ipſa experientia quotidiana inſuper oſtendit, quod acida magis, quam ſalſa & alcalia, ſint accuſanda, quia a vino Rhenano & Hungarico, copioſius hauſto, arthritis & podagra, ob acidum eminentius, in his vinis contentum, promovetur. Inſuper præſentiam acidi in arthriticis indicant ſudores acidi, ructus acidi, vomitus acidi, alvique obſtructio, &c.

§. XVII.

Ubinam vero indicata hæc intemperies in hoc vel illo ſubiecto generetur, iam inquirendum. In primis viis illam poſſe generari, credibile eſt, ſi viribus ventriculi deficientibus, digeſtio alimentorum non convenienter procedit, cruditatesque acidæ & viſcidæ ibi cumulantur; ſi liquores ſali-

* Hic auctor ſalia omnia accuſat quidem, ſed acidum primario, tanquam cauſſam communiſſimam, defendit. Ideo p. 265. l. c. inquit; ſed vero tertio interdum, immo communiſſime fere, acidum adeſt, aut corroſivi quoddam genus: Hic celeberrimus auctor, qui cum ſynovia ſuſcepit experimenta, ex his concludit pag. 268. acidum, cum auſtero aliquo combinatum, non tantum in ſynovia copioſius coagulum producere poſſe, quam alia ſalia, ſed & craſſioris conſiſtentiæ.

salivales alimentis characterem scorbuticum communicant; si chylus, ob vitia bilis & succi pancreatici, non rite perficitur, & in itinere suo in venis lacteis contaminatur. Porro generatur materia arthritica, si organorum sanguificationis vires decrescunt, & a chylo & sanguine partes inutiles non rite segregantur. Omnia viscera sunt sanguificantia organa: Si autem in visceribus labefactatis chyli in sanguinem mutatio non peragitur, chyli crudiores particulæ justo diutius in sanguine remanent, unde neque in sanguinem mutantur, neque a sanguine separantur, sed in vasculis minimis artuum subsistunt, ibique molestiam creant. Observavit Dn. Præses multoties in sanguine arthriticorum, per venam educto, eiusque superficie, crustam chylosam, satis crassam, quæ ad instar tunicæ solidæ tegebat cruorem inferiorem obscuriorem. Hæc chylosa & quasi caseosa materia obstruit vasa minutissima arteriarum earumque ramificationes, secum ducit simul salia crudiora particulasque terreas. Ideo coagulatur magis in articulis, ipsamque synoviam inquinat, ac tandem in tophos cretaceos convertitur. De materia cretacea arthritica quoque non dubitandum: Dn. Præses liberavit ab arthritide iuvenem studiosum, qui per urinam incredibilem quantitatem huius materiæ cretaceæ excrevit, quæ vitrum urinale spatio octidui crusta insigni, ad crassitiem digiti minoris, obducebat. Exsiccata hæc massa exacte cum creta porosa conveniebat, & ad scribendum in tabula apta erat. BOERHAAVIUS vidit ex vertebris exsudantem calcem arthriticam. *

§. XVIII.

* Vid. Part. V. Praxeos eius, sive Commentar. in aphor. de cognoscend. & curand. morb. Londini edit. 1731. p. 197. & seqv. ubi id confirmat, quod thes. 16. dictum est. Inquit enim: Tumor tandem rumpitur, & creta exit e minimis

§. XVIII.

Interdum viſcera primæ & ſecundæ, ita dictæ, elaborationis, vel coctionis, poſſunt eſſe ſaluberrima, & tamen homines ab arthritide vexari. Huius rei rationem quærere debemus in ipſis articulis debilitatis, ubi nervi a cerebro exiſtunt remotiſſimi. Eiusmodi nervi, in tono debilitati, per papillulas extremas non perſpirant liquida incraſſata, quæ dum ibi ſubſiſtunt, maiorem acredinem induunt, nervosque ipſos moleſtant. Simile quid dicendum de vaſculis minimis arterioſis, ſive arteriis ſeroſis ligamentorum & tendinum perioſtiorum, &c. in quibus lympha ſtagnans in coagulum abire incipit, quod primario in plethoricis, & laute viventibus, fieri ſolet, ob nimiam vaſorum repletionem.

§. XIX.

Ad cauſas mediatas remotiores pertinent res naturales, non naturales, & præternaturales. Si res naturales perpendimus, ad morbum producendum quid conferre poteſt temperamentum cholericum, ad iram diſpoſitum, & temperamentum melancholicum, in quibus blanda lymphæ humiditas deficit, particulæ autem ſalinæ acidæ & terreæ abundant, item temperamentum ſanguineum, quatenus illud ad plethoram inclinat; ſecundo diſpoſitio hæreditaria, dum per ſeminis utriusque parentis contagium propagatur, & humoribus non tantum character ſpecificus ſalinus, ſed & partibus ſolidis ſingularis debili-

tas

vaſculis ruptis, qui ſunt nervi. Hinc credere & concludere cogor, quod cauſa proxima huius mali ſit in nervis, habentibus aliam diſpoſitionem. Ergo ſalem aliquem accuſo.

* Lib. II. Prædict.

tas communicatur. Hinc Hippocrates de illis dicit, quod ægre liberentur. Tertio ætas: Aetas fere nulla ab arthriticis doloribus immunis eſt; vexantur tamen ab eis communiſſime illi, qui in media & ultima ætate ſunt conſtituti, ob inevitabilem humorum intemperiem & viſcoſitatem, ſpirituum & partium ſolidarum debilitatem. *

§. XX.

Inter cauſas n. II. primum locam obtinet aer frigidus, craſſus, nebuloſus, autumnalis, hybernus & vernus **. Haverus primam huius mali occaſionem a frigore deducit, ſimulque in aere frigido ſpiritum acidum nitroſum, cum WILLISIO, MAYOVIO, THRVSTONIO, aliisque Angliæ luminibus, admittit, deſtruentem naturalem ſanguinis mixturam, & figentem particulas volatiles ſpirituoſas ſanguinis. Hunc ſpiritum intra corpus etiam, per poros cutaneos, admit-

* Hipp. Aphor. 30. ſect. 6. inquit: Pueri podagra non laborant ante veneris uſum. Quod tamen univerſale non eſt. Ex ſimili fundamento putat, eunuchos podagra non laborare, Aphor. 28. ſect. 6. Item mulieres, inquit, a podagra immunes eſſe, niſi menſtrua defecerint, Sect. 6. Aphor. 29. Quod etiam univerſale non eſt. Nobis magis placent ea, quæ habet BAGLIVIVS, in Oper. pag. 168. qui in omnibus fere cum principiis SYDENHAMII convenit, & dicit, l. c. Arthritis præ cæteris invadit ſenes, qui poſtquam melioris vitæ annos mollius & delicatius transegerint, otio, crapulis, veneri, vino aliisque ſpirituoſis liquoribus, uberius indulſerint, vitam otioſam degunt. Hinc, ſecundum Hippocratem, Lib. II. Prædict. vix ſanantur, & ab arthritide liberantur.

** Teſte Hippocrate, Lib. VI. Aph. 55.

mitti posse, non dubitat, quoniam ipse mercurius, emplastrorum, unguentorum & linimentorum effluvia, utpote longe crassiora, per hancce viam sese in corpus nostrum insinuant; hic spiritus sanguinem præcipitando, qualitatem suam sero communicat, quod ita alteratum, aptum evadit in dispositis ad arthritidem producendam, & coagulandam mucilaginem articulorum. Sunt quidem nonnulli, qui hancce thesin in dubium vocant; quicquid tamen sit, concedere debent, naturam frigoris, qua corpori nostro damnum infert, ita esse comparatam, ut ab ea liquida coagulentur, & in motu suo impediantur, dum vasa constringuntur. Insuper frigus transspirationem insensibilem, ad vitam & sanitatem absolute necessariam, imminuit, & liquidorum motum, tum intrinsecum, tum progressivum, impedit; hinc & illi, quorum pedes sudant, a podagra sunt immunes, minimum ab illa mitius tractantur. Huc pertinet aer, particulis salinis, saturninis, metallicis, arsenicalibus, mercurialibus, sulphureis, &c. impraegnatus atque refertus. Ob salinum aerem, scorbutus & arthritis solemnis est in Hollandia & Anglia, speciatim Londini, ubi non tantum aer marinus, sed & fœtidus corrosivus sulphureus carbonum fossilium accusandus, qui ædes corrodit, argentum nigredine, ferrum rubigine contaminat; ideo ibi scorbutus, tabes, phthisis, ulcera fœtida, arthritis, rhachitis morbi sunt communissimi: ob aerem salinum fodinarum salis gemmæ in Transylvania, arthritis ibi endemia fere existit.

§. XXI.

Errores in cibo & potu proh dolor! ab arthriticis committuntur, & ita hic morbus, culpa ægrotantium, fit insanabilis *, si alimentorum quantitas & qualitas non obser-

* Vid. Dissert. Illust. Dn. ab Heucher, de Arthritide, culpa ægrorum insanabili.

obſervatur. Bacchus eſt pater arthritidis. Ideo ſi potulenta, quantitate nimia, ingurgitantur, ſalia domeſtica menſtrui ventriculi invertuntur, tonus laxatur, & cruditates generantur. Si eſculenta etiam optimæ notæ nimis copioſe inglutiuntur, menſtruum ventriculi non ſufficit ad illa ſolvenda. Hinc ab utraque cauſa læditur chymificatio, chylus, cruditatibus refertus, & ad ſanguinem delatus, neque motu progreſſivo, neque intrinſeco, ad nutritionem & ſecretionem adaptari poteſt, unde talis maſſa, ad articulos devoluta, vaſa minima obſtruit, in materiam cretaceam convertitur, accreſcit, & arthriticos dolores gignit. Augetur vero malum, ſi alimenta pravæ ſunt qualitatis, ut nimis craſſa, viſcoſa, dura, parum cocta, fumo indurata, ſale, aceto, & ſaccharo condita, quæ activitatem menſtrui ventriculi eludunt, quo pertinent fere omnia vina, in quibus acidum eminet, item & ſpiritus vini, qui albumen ovi, ob acidum prædominans, quoque coagulat, nec minus cereviſia craſſa, & debita fermentatione non rite depurata, unde & Practici ægrotantibus vini potum interdicunt, & aquoſa commendant. Interim vinum rubrum Jenenſe, modice potatum, & non ſulphuratum, cum cereviſia ſecundaria, arthriticis profuiſſe, ex obſervationibus Dn. Præſid. certum eſt. Qui autem ab arthritide immunes vivere cupiunt, illis a SYDENHAMIO, BAGLIVIO, WALDSCHMIDIO, atque DOLAEO *, lac commendatur. A lacte ſumma cruditas ſeparata eſt; lac, eiusque ſerum, ipſam præſentem in corpore humano acrimoniam temperat atque extinguit. Praxis Boerhaaviana commendat lac recens, tepidum, non coctum, quia coctione exhalat tenue illud volatile & ſpirituoſum prin-

* In Tract. de Furia Podagræ lacte victa.

principium, quod ad fluiditatem humorum conservandam utilissimum est.

§. XXII.

Motus membrorum nimis laboriosus, fatigationes & debilitationes in saltationibus, digladiationibus, equitationibus, &c. musculis, tendinibus & ligamentis vim inferre, spiritus dissipare, ac humiditates articulorum absumere & inspissare solent. De Scythis refert HIPPOCRATES *, eos, propter diuturnam equitationem, doloribus articulorum corripi. Regula est generalis, quicquid notabiliter debilitat, illud arthritidem promovet, quo pertinent vigiliæ, modum excedentes; spiritus enim hisce præsentibus non sufficiunt in ventriculo, intestinis, imo ipso corde, ad motus debitos perficiendos, turbatur sic chylificatio, læditur sanguificatio, imminuuntur excretiones, & humores omnes accrescunt, & viscosi redduntur, ex quo fundamento arthritis a RICHARDO MORTON * dicitur morbus sapientum. Sed nihil magis infringit spiritus, viresque exhaurit, corpus refrigerat, humorum temperiem turbat, totamque œconomiam animalem invertit, quam venus immodica, quæ ideo dicitur Dea solvilumba. Utinam omnes omnino homines observent ea, quæ CELSUS de concubitu profert, quando inquit: Concubitus neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est, rarus corpus excitat, frequens solvit. Itali sobrii a venere, Germani a vino podagrizant, dicit BOERHAAVIUS. Plerumque in arthriticis id observatut, quod DOLAEUS, in epistola ad

* Lib. de aquis, aere, & locis.

** In Exercitatione de morb. univers. ubi p. 32. inquit: Immoderata in studiis industria, ob debilitatos spiritus, athritidem provocat.

ad WALDSCHMIDIUM, posuit: Bacchus in tubulos, a venere evacuatos, deponit acria vini recrementa. Denique ad res n. n. pertinent excernenda & retinenda, immo animi affectus. De venere morbifica nihil amplius dicendum; sanguinis evacuationes, urinæ, sudoris, & alvi, modo restant. Si menses vel supprimuntur plane, vel non sufficienter evacuantur; si lochia deficiunt; si hæmorrhoides non fluunt, sed supprimuntur & retardantur, certo certius arthritis acceleratur, quia ita status cacochymicus introducitur. Urina & sudor perpetuæ & utilissimæ sunt secretiones, per quas sanguis depuratur a salibus omnis generis, & particulis terreis, oleosis atque lymphaticis; hinc quoque instantis podagræ signum certissimum est defectus sudoris in pedibus. Alvus sicca & obstructa sæpius a defectu seri urinalis in glandulis coli originem ducit, item a bile, non satis alcalica. Quoniam itaque hæc contingunt in melancholicis & hypochondriacis, ideo arthritidem promovent, & eam instare, haud obscure simul indicant. Ira obstetrix est arthritidis, nihilque magis accrescentias sanguinis accelerat, quam hic affectus, dum omnia viscera omniaque liquida, immo totum corpus modo excessivo commovet; hinc hectici & arthritici plerumque ad iram sunt dispositi, quoniam acrimonia sanguinis copiosissima in illis reperitur, quæ vero per huncce affectum in dies augetur, dum salia volatilia acida temperantia in illo affectu expelluntur.

§. XXIII.

Res p. n. ad producendam arthritidem sæpius symbolum conferre solent, quo pertinet lues venerea, detestabilis ille morbus, qui inter alia symptomata sævissimum dolorum genus secum ducit, quod in capite & circa articulos eorumque internodia ægrotantes excruciat. Hoc

crudelissimum doloris genus *Tortura nocturna* dicitur, quia nocturno tempore inprimis sese manifestat. Referri huc debet scorbutus, unde arthritis vaga scorbutica oritur. Quicquid inquinamentum scorbuticum auget, & obstructiones glandularum promovet, ut obstructio mesenterii, pancreatis, hepatis, lienis, illud etiam ad arthritidem magis disponit. Hic etiam considerari debet renum obstructio & læsio; nam nephritis & arthritis morbi sunt, arctissimo vinculo inter se connexi, & ab una eademque caussa maxime orti. Porro febres continuæ acutæ malignæ, in specie dysenteria, item febres intermittentes, inconvenienter tractatæ, & male curatæ, de quibus apud SCHENCKIVM, FORESTVM, & RIVERIVM, passim prostant observationes. Etenim hi morbi a salibus heterogeneis acrioribus producuntur, quæ quando a massa sanguinea non separantur, ad articulos devolvuntur, unde arthritis & tumores pedum œdematosi in fine horum morborum frequentissimi sunt. Denique contagium a multis Practicis accusatur, communicatum vel per concubitum, teste BOERHAAVIO, l. c. vel per accubitum, sive per sudorem, vel per salivam, &c. Dispositio ad arthritidem tenellis infantibus a nutricibus communicatur per lac, item per salivam, si pulpamenta, ore nutricum & vetularum excepta, scorbutica saliva inquinatur; harum dentes enim plerumque sunt cariosi, & gingiva putrida stomacace est corrupta. Per sudorem contagium communicari posse, haud improbabile est. Lues venerea, scabies, phthisis, & arthritis, sunt quidem morbi chronici; sed tamen simul contagiosi, quorum vera causa consistit in sale quodam destructivo, diversimode determinato. Ideo hæc salia fermentifica, de corpore affecto in aliud corpus sanum deportata, similem characterem communicare, & specialem humorum confermentationem instituere posse, certum est. Cæterum prostant multæ observationes apud

re-

rerum medicarum ſcriptores de arthritide, per contagium communicata. Inter omnes curioſiſſima eſt ea, quam BLANCARDVS * de cane quodam refert, qui pedes podagrici frequenter linxit, unde canis podagra adeo fuit afflictus, ut neque ſtare, neque ambulare potuerit.

§. XXIV.

Arthritidem non exiguam obtinere differentiam, ex antea dictis illuceſcit. Differt enim primo ratione cauſarum, tam externarum, quam internarum; hinc eſt endemia in Hollandia, Anglia, & Tranſylvania; contagioſa, per contagium introducta; hæreditaria, a parentibus communicata; plethorica atque ſcorbutica, &c. Secundo ratione ſymptomatum alia eſt cum febri ſat forti, alia cum febri miti, alia cum eryſipelate, inflammatione, rubore, tumore, ſuppuratione, alia interdum œdematoſa magis, immo cum maculis ſcorbuticis coniuncta. Tertio ratione modi afficiendi alia eſt fixa, plerumque in una parte perſiſtens, alia vaga, modo hanc, modo aliam partem occupans, alia lancinans, rodens, vellicans, gravativa, diſtenſiva, &c. Quomodo differre ſoleat ratione loci, antea iam fuit indicatum.

§. XXV.

Signa arthritidis, ſicuti in aliis morbis, dividuntur in diagnoſtica & prognoſtica. Diagnoſtica vel præſentem, vel inſtantem indicant. Inſtantem & imminentem indicat laſſitudo, appetitus proſtratus, venarum intumeſcentia, artuum torpor, flatulentia, alvus obſtructa, ſuppresſio ſudoris, dolor capitis gravativus, &c. etenim hæc ſunt indicia plethoræ cacochymicæ, quæ ut plurimum prima-

ria

* In Collect. med. Cent. VII. obſerv. 56.

ria arthritidis causa esse solet, & quæ tollitur per paroxysmos febriles, sive per febrim supervenientem: Etenim partes superfluæ massæ sanguineæ, ob motus, tum progressivi, tum intrinseci, defectum non subiguntur, hincque fiunt obstructiones, contingunt motus sanguinis præternaturales, & ita febris; nam si arthritis contingit, eius præsentiam indicant horror, rigor, quo finito calor increscit. In horrore febrili motus sanguinis imminuitur, inprimis circa integumentia communia; hinc, ob defectum circuli sanguinis, a quo regulariter calor dependet, sentiunt papillulæ nerveæ cutis defectum caloris, sive sensum frigoris, sanguis vero in hac horripilatione & spasmo tunicæ musculorum communis pellitur versus centrum, ibique magis agitatur, unde calor subsequitur, & in calore sudor contingit, cum quo particulæ heterogeneæ, sive fermentum arthriticum, simul evacuatur. Dum hæc contingunt, vera signa etiam præsentis arthritidis apparent, nempe dolores articulorum, ut plurimum primum in pedibus, & in specie circa pollicem, quoniam ibi notabilis ligamentorum & tendinum copia existit. Hæc, iam dicta, reperiuntur apud SYDENHAMIUM, & BAGLIVIUM, qui primario de arthritide scripserunt, immo ipsa experientia iam prolata confirmat.

§. XXVI.

Ad prognosin quod attinet, maxima pars Medicorum defendit, quod arthritis sit species criseos salutaris, quæ per febrim instituitur, ac per sudorem, & urinam, fermenta heterogenea arthritica evacuat. Ideo raro cum lethalitate coniuncta est, & quamvis sæpius paroxysmi arthritici reiterantur, tamen homo usque ad extremam senectutem persistere potest. Si vero in senio vis depurandi, expellendi, & deponendi materiam arthriticam ad loca extrema deficit, tunc dolores mitiores fiunt, ægrotantes

tantes

tantes vero torpidi & languidi redduntur, tandemque moriuntur vel apoplexia, vel suffocatione, vel corruptionibus viscerum, quia materia arthritica non amplius in consolidatis articulorum partibus expurgatur, sed ad viscera devoluta, ea corrumpit atque inflammat. Dicitur quoque, quod arthritis & podagra hominem præservare valeant ab aliis morbis, quod suo modo concedi potest. Etenim si heterogeneum principium vel in corpore nascitur, vel ad illud defertur, per fermentum arthriticum statim mutatur, & sic arthritis oritur. Hancce thesin veram esse, ostendunt aliæ observationes, v. gr. leprosorum, qui, durante peste, ab hac immunes extiterunt, quoniam fermentum pestiferum fuit transmutatum in leprosum. Si ulterius prognosin formare volumus in arthritide, considerare debemus subiectum. Ita arthritis in iunioribus spem curationis relinquit, quoniam, si debito modo tractantur subiecta, omne fermentum arthriticum radicitus evelli potest. Si vero arthritis hæreditaria est, ob connatam tum solidorum, tum fluidorum pravam dispositionem, vix promittere possumus exoptatam curam. Arthritis si partes extremas modo occupat, etiam non adeo periculosa est, quam illa, quæ principiis nervorum propinquiora organa affligit. Arthritis omnis ad morbos chronicos referri debet; durat enim plerumque per mensem unum alterumve, quia massa sanguinea a materia arthritica non tam cito depuratur. Hyberno tempore ut plurimum vexantur, & in æstate immunes a doloribus vivere solent. Inprimis autem notandum, quod in arthritide omnis retropulsio præcaveri debeat, quæ topicis improvide applicatis, plerumque fieri solet; si enim materia morbifica ab articulis ad partes nobiliores defertur, v. gr. ad cerebrum, tunc contingit apoplexia, aliique affectus soporosi; si pulmones occupat, phthisin, tussim, pleuriti-

dem, peripneumoniam, catarrhum suffocativum excitare solet. Retropulsa arthritis ad glandulas intestinales, ibi producit affectus colicos ineffabiles, diu durantes, & in fine lethales, quale exemplum a celeb. Dno. Præside audivi; si devolvitur ad hepar, hepatitis oritur.

§. XXVII.

Cura alia est in paroxysmo, alia extra paroxysmum. In paroxysmo respicienda est causa doloris, ipse dolor, aliaque symptomata. Ideo requiruntur talia medicamenta, quæ plethoram & cacochymiam corrigunt, fermenta arthritica, sive salia acria, maxime acida, temperant, humores condensatos resolvunt & educunt, tum ex primis viis, tum ex massa sanguinea; porro talia, quæ spasmum & sensum irritationis mitigant, poros cutis, vasa minima sanguifera, per dolorem & spasmum constricta, laxant, spiritusque debilitatos ita roborant, ut eorum vis confortata materiam peccantem melius, placide tamen expellere valeat. Consentiunt fere omnes, plethoram arthritidis causam esse, & per febrim in arthritide plethoræ fieri imminutionem, ac in sudore materiæ arthriticæ separationem. Ideo nonnulli plane omnem usum omnium fere remediorum interdicunt, & patientiam, sive curam per expectationem, commendant, dicuntque, ita non turbari motus naturæ criticos: Verum quidem est, quod crisis non sit turbanda, interim tamen non sequitur, quod ideo nullum remedium sit adhibendum; nam dantur multa remedia, quæ crisin hanc placide promovent, & ad superandam, extinguendam & imminuendam materiam arthriticam multum conducunt, absque retropulsione, vel motuum criticorum inversione.

§. XXVIII.

Ex fonte ideo chirurgico applicari potest primo venæ sectio, plethoræ remedium. Observationes omnium

Medi-

Medicorum teſtantur, vix feliciter curari arthritidem in plethoricis, absque venæ ſectione. Non vero illa inſtituenda eſt in parte affecta, propter doloris exacerbationem, & metum aliorum ſymptomatum; potius illa ſuſcipitur in alia parte, a doloribus libera, & parti affectæ aliquo modo vicina. Subſtitui poſſunt ſcarificationes, non parum utiles, ex ſimili intentione, ad ſanguinis copiam nimiam imminuendam; quo pertinent ſuo modo hirudinum applicationes. SALMVTHVS * teſtatur, ſacrificationem, ſingulis menſibus in manibus & pedibus inſtitutam, inprimis circa pollices, præſervaſſe mulierem ab arthritide. Le CHEVALIER TEMPLE ** ſimili modo ſcarificationes extollit, & fotum poſtea, ſive pediluvium, ex urina humana recenti applicandum, commendat. Cacochymiam reſpiciunt ex præſidiis chirurgicis veſicatoria atque fonticuli, qui acres & vitioſos humores e fundo partium eliciunt, & ideo præſervant ac curant. Huc pertinet moxæ Chinenſis applicatio, quæ ad ſpecies cauteriorum referri debet; eſt enim moxa lanugo artemiſiæ latifoliæ Japonenſis, in globulos denſos contorta, parti dolenti impoſita, poſteaque certis bacillis aromaticis accenſa. Ita in cute aduſta excitantur fonticuli; *** ulcera nata vel foliis braſſicæ, vel emplaſtro dia-palmæ obducuntur. Illuſt. & b. WEDELIVS, noſter loco moxæ, ſtupam communem commendat.

 §. XXIX.

* In Obſervat. med. Cent. III. Obſerv. 46.

** In ſuis Meditationibus, ſive les Oeuvres meleés, inprimis in illa, quam de la Goutte, ſive de Podagra, ſcripſit.

*** Vide, inter alios ſcriptores, Valentini Muſeum Muſeorum, pag. 229.

§. XXIX.

Ex fonte pharmaceutico tutiſſime primo in uſum vocantur purgantia & vomitoria: Hæc magis in ventriculum agunt, illa in inteſtina, & cruditates, omnium fere morborum mineram, eiiciunt; quo fine inſervire poſſunt bina tutiſſima, & omnium optima emetica, radix ipecacuanhæ, & tartarus emeticus. Habemus, inter alia, remedium, in arthriticis morbis egregium, gummi guttæ, ſive podagræ, dictum; hoc in nonnullis agit per vomitum, alios contra purgat per alvum. Proſtant & pilulæ, antipodagricæ dictæ, in quibus hoc gummi baſin conſtituit. Compoſitio ſequens eſt: Rec. gummi guttæ unc. dimid. reſin. ſcammonii drachm. ij. reſin. gialappæ, extract. helleb. nigr. extr. trochiſcor. alhand. ana drachm. j. extr. fumar. unc. ſemis, miſce; doſis gr. XXI - XXV. pro diverſa conſtitutione ſubiectorum. Simili modo laudantur hermodactyli, tanquam ſpecificum, quorum pulvis hodie ſcrupulus unus, cras drachma ſemis, & ſic deinceps datur, ſemper aſcendendo in dies, donec veniamus ad illam quantitatem & doſin, quæ quinque, vel ſex alvi evacuationes excitare poteſt; hæc doſis inventa, deinceps bis per ſeptimanam reiteratur. Non interdicimus aliorum uſitatorum purgantium uſum, modo hoc indicamus, quod bina nominata ab auctoribus, ut magis ſpecifica, ſint commendata. Ex hermodactylis paratur quoque notiſſimum decoctum antipodagricum Viennenſe ſequentis compoſitionis. Rec. polypodii querni, hermodactylorum, rad. Chinæ, ſarſaparill. ana unc quatuor, lign. guaiac. raſpat. unc. ſex. C C. coquantur in tribus menſuris vini, & novem menſuris aquæ, ad quartæ partis conſumtionem. De hoc decocto ſumuntur quotidie ſex, vel octo libræ, & laxantia interponuntur, ex pilulis, antea indicatis. Hiſce præmittuntur commode illa, ita dicta, digeſtiva, ſive præparantia, quæ cru-

cruditates in primis viis, quibus mediantibus alias vis purgantium atque emeticorum infringitur, corrigunt & destruunt, qualia sunt sal digestivum verum Sylvii, cremor tartari, tartarus resolubilis, vitriolatus, cum radice ari, pimpinellæ, croco martis aperitivo, &c.

§. XXX.

Sudorifera moderata in hac medendi methodo requiruntur, quæ serum viscidum resolvunt, salia acria temperant, & subtiliata per poros cutis educunt. Talia primario sunt salia volatilia alcalia, simplicia & oleosa, quibus acida optime temperantur, qualia sunt spiritus & sal volatile cornu cervi, viperarum, lumbricorum, sal volatile tartari, remedium, post liquorem Alcahest, fere optimum; quo pertinet etiam spiritus bezoardicus Bussii, sal volatile oleosum Sylvii, & multa alia similia. Sylvius mirum quantum laudat suum sal volatile oleosum, & quidem non sine ratione, quia salia volatilia omnia acida temperant. Si vero oleis æthereis permiscentur, & ita roborantur, vis temperans in hisce remediis augetur; etenim omnia olea ætherea concentratissimum, & extreme corrosivum oleum vitrioli ita corrigunt, ut vix sapor relinquatur. Simile quid statuere debemus de vi temperante, quam expectamus ex usu partium animalium, quoniam & in illis oleosum principium sat copiose delitescit. Qui vero vult parare verum sal volatile oleosum Sylvii, ille recipit libras II. salis tartari, libr I. salis ammoniaci, libr. IV. spiritus vini, & aquæ q. s. hæc soluta & mixta, destillantur per Retortam, vel Alembicum, debito modo, spiritus autem impetratus de suo capite mortuo ter quaterve cohobatur; ita sal tartari simul volatilisatur & impetratur spiritus salis ammoniaci tartareus, pro usu interno egregius, cum quo deinceps olea ætherea aromatica facillime combinantur.

§. XXXI.

Profunt & diuretica, quæ, ficuti iam laudata fudorifera, vim habent vifcidum folvendi & incidendi, ac acidum aufterum corrigendi & temperandi, atque per glandulas renales educendi. Inftar omnium hic funt falia vegetabilium fixa, per incinerationem parata, ut ftipitum fabar; ononid. genift. artemif. card. ben. tartari; oleum tartari p. d. &, quod cum hoc convenientiam habet, Alcaheft Glauberi, ex nitro fixato carbonibus impetratum; porro Tinctura antimonii, tartari, carbonum, &c. Hifce remediis mediantibus, provide applicatis, tutiffime, & absque repulfionis metu, arthritici tractantur, & tractari poffunt; nam tantummodo fe- & excretiones, absque iniuria, placide promovent.

§. XXXII.

Nunc videbimus fpecifica, in morbis arthriticis laudata, quorum varia commendantur tum ex regno vegetabili, tum animali, tum minerali. Remedia antarthritica regni vegetabilis funt primo radices infipidæ, ut Chinæ, farfaparillæ, cichorii, fcorzoneræ, bardanæ, quinque aperientes maiores, minores, in fpecie fœniculi, graminis ononidis, fcrophulariæ, taraxaci; hæc omnia partim poffident fubtilem terram, partim mucilaginem, partim tenuiffima falia alcalia, quibus mediantibus falia acria auftera temperantur, invertuntur, & per fudorem atque urinam educuntur, aqua autem, cum qua decoquuntur, vifcofitates diluit. Secundam claffem abfolvunt vegetabilia, fale volatili prædita, quo pertinent radix ariftolochiæ omnis, in fpecie longæ & clematitidis, contrayervæ, fuccifæ, herb. Britannicæ, five lapathi folio cubitali, herb. rorellæ, cochleariæ, nafturtii, beccabungæ, chamædryos, chamepytios, velivæ mofchatæ, aut arthriticæ, fummitates pini,

lignum

lignum saſſafras, iuniperinum, &c. quæ omnem ſtagnationem humorum diſſipant & reſolvunt, ſive ex illis fiant infuſa, ſ. ſpiritus, ſ. eſſentiæ, &c. Qui labores ſuſcipit cum cochlearia, ille obſervabit in analyſi penetrantiſſimum ſal volatile, quod cum volatilitate raphani ruſticani militat. Quum vero per experientiam certum ſit, cochleariam eſſe optimum antiſcorbuticum, ideo exinde eluceſcit, a quonam principio ſcorbutus, & ſic arthritis originem ducat, nempe ab acido quodam fixo corrodente, & ſic deſtruente fibrillulas minimas ſolidorum, quibus enecatis, poſtea fœtor ille intolerabilis, v. gr. in ſtomacace, oritur. Tertio laudantur amara. Eſt quidem amarities in cochlearia, chamedry, rad. ariſtolochiæ, &c. ſed maior illa deprehenditur in radice & herba trifolii fibrini, ligno colubrino, utpote optimis antiſcorbuticis, fumaria, carduo benedicto Mariæ, tertianaria, ſcordio, ſummitatibus centaurii minoris, &c. quorum extracta celeberrimorum Practicorum pilulas balſamicas, ingrediuntur. Amara omnium optima ſunt balſamica, & temperantia optima antiſcorbutica; hinc natum eſt proverbium, *bitter im Munde, ſtærckt im Hertzengrunde*; obſervamus enim, in combuſtis cineribus eiuſmodi herbarum deliteſcere copioſum atque efficaciſſimum ſal alcali, quod in aliis herbis non tam abunde reperitur. Extracta etiam amara facile liqueſcunt, ſi ab aere humido non defenduntur.

§. XXXIII.

Specifica regni animalis, in arthritide laudata, ſunt lumbrici terreſtres, vel in ſubſtantia, vel in pulvere, vel in eſſentia dati, vel eorum ſpiritus urinoſus, & ſal volatile, vel etiam cinis. Et quoniam talpæ lumbricis nutriuntur, ideo & talparum cinis in arthritide quoque laudatur; item millepedes commendantur, in quibus ſal copioſum diureticum & aphrodiſiacum deliteſcit; viperæ in ſubſtantia,

de-

decocto, & brodio, propinantur, nec non eorum ſpiritus & ſal volatile. RAYMVNDVS LVLLIVS * de viperis ſcribit, quod viperæ ſint medicina regia, quæ miracula præſtet. Lumbrici & viperæ nutriuntur terra; ideo ſalis nitroſi terreſtris pars fixa in hiſce animalibus volatiliſatur, ſicuti ſalia herbarum fixa volatiliſantur in corpore cervi: Omnes hinc partes animalium duræ in cura arthritidis locum inveniunt, uti ſunt cornu cervi, dens apri, & hippopotami, mandibulæ lucii piſcis, unicornu, cornu rhinocerotis, ungulæ alcis, lapides manati, cancrorum, percarum, carpionum, mater perlarum, conchæ, perlæ, chelæ cancrorum, &c. quoniam in ſe continent terram ſubtilem abſorbentem antacidam, temperantem & mucilaginem, ſalia involventem, ſal volatile urinoſum & oleum, quæ ſalia acida auſtera temperant, corrigunt, reſolvunt, attenuant, & ad excretoria ducunt. Laudantur & oſſa humana calcinata, manuum ſcilicet in chiragra, pedum in podagra, ſed nos anthropophagiam aliis relinquimus, potius ſal dulce lactis, vel ſaccharum lactis, commendamus, ſemel de die, ad unciam dimidiam, ſumendum.

§. XXXIV.

Specifica antarthritica regni mineralis varia proſtant. Pleraque corpora regni mineralis ſunt alcalia, extreme fixata; etenim aurum, & omnia metalla, antimonii pars regulina, immo ipſe mercurius menſtruis acidis ſolvuntur, quæ experimenta, utpote notiſſima, certitudinem huius theoriæ confirmant. KVNKELIVS ** laudat antimonium crudum, tanquam ſummum remedium, in contractura, ab arthritide nata, & eius pulverem, cum ſaccharo & aroma-

tibus

* Lib. de conſervanda vita, Cap. 11.

** In ſuo Laboratorio chemico, p. 432.

tibus in morſulos commutat, qui morſuli etiam in Diſpenſatorio Brandenburgico reperiuntur; dedit antimonium quotidie ad ſcrup. unum, gr. XXV, & ita varios a contractura liberavit. Hoc remedium non contemnendum eſt, quia ipſa experientia uſum antimonii crudi confirmat; dependet vero vis & efficacia antimonii crudi a particulis regulinis mercurialibus, aliquo modo fixatis. Sunt & alia antimoniata, in morbis arthriticis non contemnenda, ut regulus antimonii medicinalis, ſive antimonium diaphoreticum rubrum, antimonium diaphoreticum album, ſive commune, antimonium martiale cachecticum, ceruſſa antimonii, materia perlata, Tincturæ antimonii omnes alcalicæ, immo rhabarbarina B. Wedelii. Huc pertinent cinnabarina, in ſpecie cinnabaris antimonii, cinnabaris lunæ, ſpecificum cephalicum Michaelis, & martialia omnia, in ſpecie Tincturæ martiales, cum arcano tartari liquido, crocus martis aperitivus, cum ſulphure, & ex hoc paratus pulvis cachecticus Quercetani. Chemici nonnulli perfectam arthritidis curam per mercurium diaphoreticum, arcanum corallinum, aurum horizontale, &c. promittunt; ſed mercurialibus hiſce non ubique fidendum. Succinum, quod ad regnum minerale referri debet, eſt anodynum & antiſpaſmodicum. Ideo cum cinnabarinis, caſtorinis, viperinis, lumbricatis, &c. ad dolores imminuendos, & inſenſibilem transſpirationem promovendam, commode miſceri poteſt. Ad dolores imminendos etiam egregie ſe commendant liquores anodyni minerales dulces & fragrantes, ex oleo vitrioli parati, & præſenti ſeculo in re medica ſatis ſatis noti atque laudati. Hi tutiſſime poſſunt applicari pro uſu interno, ob virtutem bezoardicam, ſimul coniunctam, immo pro uſu externo. Denique huc referri debent acidulæ & thermæ.

§. XXXV.

Externorum & topicorum remediorum, in arthritide laudatorum, ingens, & fere ineffabilis datur copia, quorum tamen applicatio facile in aegrotantium detrimentum cedere poteſt. Sane in hoc morbo remedium, alias laudatiſſimum, fieri poteſt noxium & perniciosum repellens. Optimi ideo Medici omnium topicorum remediorum uſum plane interdixerunt, & modo commendarunt fotus calidos ex pelliculis, quo conſervetur humorum circulatio, & in artubus neceſſaria transſpiratio. Laudantur vero primo cataplaſmata ex hyoſcyamo, bono Heinrico, floribus ſambuci, aliisque notiſſimis emollientibus & paregoricis; ſecundo emplaſtra, ut dia-palmæ, de hyoſcyamo, antipodagricum TACKII, BARBETTI, cera catholica BVRRHI, &c. quæ ex reſinis odoriferis, ut gummi ammoniaco, galbano, opoponace, bdellio, aſſa fœtida, gummi elemi, tacamahaca, olibano, ſagapeno, croco & camphora, tanquam principalioribus ingredientibus, componuntur, quorum ſal volatile oleoſum reſolvens & anodynum eſt. Tertio ex hiſce reſinis, oleis, pinguedinibus, axungiis atque medullis componuntur balſama, antipodagrica dicta, quo pertinet oleum hyoſcyami, petræ, verbaſci, caſtorei, calcis vivæ, ſive Philoſophorum, pinguedo cati ſylveſtris, porci, vulpis, axungia cervi, medulla mandibularum inferiorum equorum, ſecundum nonnullorum, & fortaſſis ſuperſtitioſorum & Empiricorum, ſententiam. Quarto huc referendi ſpiritus vinoſi & urinoſi, ut camphoratus, myrrhatus, crocatus, florum lavendulæ, foliorum rorismarini, baſilici, lumbricorum, formicarum, cochleariæ, theriacalis camphoratus, balſamus Anglicanus, ſpiritus arthriticus, linimentum nervinum WEDELII. In ſpecie in doloribus articulorum reſolvens & anodynum egregium eſt ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus, cum genui-

no

no oleo anthos & lavendulæ permixtus. Videndum tamen, ne hæc omnia, aliaque ſimilia, fiant repellentia, quæ fermenta, ad latera cutis devoluta, verſus interiora retrudunt, ideoque provide, & non ſemper, nec in maxima doſi applicanda. Sunt nonnulli, qui aquoſa linimenta quoque commendant, ſed de his nullum ſolatium, & ſalutarem effectum expectare poſſumus. Ob defectum enim particularum ſpirituoſarum, non ſufficienter reſolvere posſunt materiam arthriticam ſtagnantem, & profunde latitantem circa articulorum internodia. Talia ſunt lixivia antipodagrica, ut VLADISLAI IV. ſequentis compoſitionis. Rec. lixivii calcis vivæ, per aquam ſpermatis ranarum, & omnium florum, facti, libras ij. Salis ammoniaci pulveriſati ℥ß. Miſce hæc in vaſe cupreo, donec ſapphiri acquirant colorem. Hæc aqua filtrata, deinceps calefacta, cum linteaminibus parti dolenti applicatur. Hæc aqua quadantenus quidem ſpirituoſa eſt, ſed non ſufficienter. Similis fere compoſitionis eſt aqua antipodagrica IOHANNIS CASIMIRI, quæ conſtat ex phlegmate vitrioli, aqua ſpermatis ranarum deſtillata, ana libra j pulveris myrrhæ unciis ij. quæ mixtura quoque, cum linteaminibus, calide applicatur. Huc pertinet ſolutio lapidis divini D. D. KRAFFTS, qui lapis ita paratur: Recipe anodyni mineralis, ſive vitrioli Hungarici, libram j. Salis ammoniaci libram ſemis, tartari albi, aluminis crudi, ana uncias IV. Salis gemmæ uncias ij. Pulveriſata inde ollæ vitreæ, ſatis capaci, & affunde aceti florum ſambuci libras iij. Coque, leniter agitando baculo ligneo, materiam, donec ſpiſſeſcat. Poſtea additur ſacchari Saturni, viridis aeris cryſtallini, ana ℥j. iterumque coquitur, & materia tota in ſubſtantiam lapideam convertitur. Denique uncia ſemis hujus lapidis in libra j. aquæ ſpermatis rana-

rum diſſolvitur, & calide, ut antea, applicatur. Compendioſioris compoſitionis eſt lapis ille divinus, præſenti ſeculo Pariſiis uſitatus, ſequentis compoſitionis. *La Pierre Divine.* Rec. IV. Onces de vitriol de Chypre, IV. Onces de Salpetre, ou de Nitre, IV. Onces d' Alun de Roche. Il faut metre tout cela en poudre, & le faire fondre dans' un pot neuf verniſſé, d' abord a petit feu & puis, a un plus grand feu, jusqu' a ce, que tout ſoit fondu. Iettes enſvite dans cette matiere un gros de camphre mis en poudre, remuez tout auec vne Spadule de bois. Lorsuqe le Camphre ſera bien, fondu, & bien incorpore, auec les autres matieres, couvrez le pot de ſon couvercle, & le lutez auec de la bate de farine. Laisſez refroidis cette compoſition durant XXIV. heures. Aprés vous caſſerez le pot, & vous trouverez une pierre verte, qu'il faut ſeparer proprement des morceaux du pot. On conſerve cette pierre dans une phiole de verre, pour empecher l' euaporation de ce qu' elle contient de ſpirituex, & de volatile. Hæc omnia in ulceribus quidem ſunt epulotica, immo & in inflammationibus quibusdam locum inveniunt; veruntamen hic non quadrant.

§. XXXVI.

Diæta in arthritide accurate obſervanda. Vitetur aër frigidus; cibus & potus ſit facilioris digeſtionis, & laudabilis ſucci, abſtinendum a potulentis vinoſis, ac decocta aquoſa, in ſpecie radicis ſarſaparillæ, Chinæ & ſcorzoneræ, immo ptiſanæ commendanda; ſomnus promovendus; excretiones liberæ ſervandæ; & animi affectus, in ſpecie ira atque triſtitia, evitandi.

S. D. L. & G.

MADRIGAL.

GEehrtester, Du trifft die Wahl,
Indem Du Dich aus Zipperlein wilst
wagen.
Warum? Pabst, Kayser, Cardinal
Sind schon bereit, Dir grossen Danck zu sa-
gen:
Hygea will die erste seyn,
Und reichet Dir, als ihrem ächten Sohne,
Vor solchen Fleiß, den Purpur-Hut zum
Lohne.

Hiermit solte seinen schuldigsten Glückwunsch
abstatten des Herrn DOCTORANDI

Schuldigster Diener,

Sim. Fried. Zinnkogel,

Der Artzeney-Kunst beflissener.